

sit aqua elevari ad gratiam efficiendam, videtur impertinens quod sit naturaliter activa frigiditatis vel alterius qualitatis similis. Præterea huc accedunt rationes, quibus supra probavimus esse in creaturis potentiam obedientialem, ut in divina instrumenta assumi et elevari possint; illæ enim non solum probant de his rebus, quæ sunt activæ aliquorum effectuum naturalium, sed in universum de omnibus entibus creatis, respectu omnium effectuum in quibus specialis repugnantia inventa non fuerit.

78. Atque hinc ulterius intelligitur, quando potentia naturaliter activa aliquorum effectuum ad supernaturales res efficiendas elevatur, tunc, licet res, quæ elevatur, sit naturalis potentia, tamen quatenus elevata agit, non agere ut naturalem potentiam, id est, prout est virtus activa natura sua ordinata ad tales effectus; sicut quando elevatur substantia ad agendum, quamvis id, quod elevatur, sit substantia naturalis, tamen, formaliter ac præcise loquendo, non agit ut substantia naturalis, quia ut sic solum dicit ordinem ad subsistendum in suo esse, sed agit quatenus elevata est, et quatenus in se habet fundamentalem seu obedientialem vim, ut elevari possit, ad quam vim quasi materialiter se habet, quod sit in substantia, vel in qualitate naturaliter activa, vel non activa. Et confirmatur hoc illatum, quia prædicta naturalis activitas limitata est ad tales effectus; ergo, quando ultra illos operatur, non agit ut naturalis vis activa. Patet consequentia, quia tunc non operatur intra naturæ limites; ergo nec operatur per concursum seu auxilium naturæ debitum aut proportionatum, neque habet connaturalem ordinem seu inclinationem ad talem effectum. Denique naturaliter est simpliciter impotens, seu sine potentia ad talem effectum; ergo non potest dici efficere illum, ut potentia naturalis est.

79. Dices, hinc solum sequi non efficere talem effectum ut potentiam naturalem, naturali modo operantem; nihilominus tamen posse illum efficere ut potentiam naturalem operantem ut elevatam; quia non repugnat rem imperfectiorem adjutam a perfectiori efficere aliquid superius et perfectius, quod ex se non potest. Sed hoc quidem admitti posset, si illa particula, *ut*, specificative sumeretur, et designaret tantum rem quæ ad agendum elevatur; hoc enim sensu verum est, rem inferiorem posse elevari ad efficiendam superiorem, ut naturalem ad supernaturalem,

et corpoream ad spiritualem producendam; tamen, sumpta illa particula omnino formaliter ac reduplicative, involvitur repugnantia in argumento, nam, cum dicitur potentia naturalis, ut talis est, virtute sua attingere superiorem effectum, sensus est, quod ex propria vi naturalis activitatis influit in talem effectum: repugnat autem hoc modo influere, et solum ut virtutem elevatam influere. Implicat itaque effectum esse omnino supernaturalem, et tamen virtutem naturalem prædicto modo influere in illum; nam, si prædicto modo influit ex natura sua, habebit ordinem ad talem effectum, saltem per modum virtutis partialis, vel instrumentalis connaturalis; ergo comprehendet illum effectum sub adæquata latitudine seu objecto suæ activitatis naturalis; non ergo talis effectus erit simpliciter supernaturalis respectu talis virtutis; sicut calor, si naturaliter est activus formæ substantialis ignis et carnis, quamvis non habeat sufficientem vim ad illum effectum, nec principalem, sed instrumentalem tantum, et quamvis non possit talem effectum efficere, nisi a superiori agente juvetur, nihilominus effectus est illi connaturalis, quia ipse naturali vi, ut talis est, influit in illum. Quod si dicas, in calore hoc ideo esse, quia non solum agit virtute naturali, sed etiam ut instrumentum subordinatum alicui virtuti principali connaturali, respondetur, licet hoc verum sit, hinc tamen sumi argumentum; quia nulla potest esse virtus naturalis, quæ, si ut naturalis operatur, non sit vel principalis virtus, vel instrumentalis, subordinata alicui principali ejusdem ordinis; nam hæc debent inter se proportionem et debitam habitudinem servare.

80. Nec vero satis est quod supernaturalis effectus in aliqua generica vel communi ratione conveniat cum effectu connaturali, ut naturalis virtus, quatenus talis est, dicatur influere in supernaturalem effectum sub illa communi ratione. Primo quidem, quia alias eadem ratione dici posset influere in illum, ut principalem virtutem partialem, si fortasse respectu effectus naturalis, in quo talis ratio reperitur, est principalis virtus. Secundo, quia virtus naturalis non semper respicit illam rationem communem per se, sed solum rationem particularem, in qua illa communis includitur, ut frigiditas aquæ non est per se virtus ad producendam qualitatem ut sic, sed ad producendam hanc qualitatem sibi similem. Unde non habet naturalem virtutem ad

producendam rationem qualitatis, nisi ut contractam ad talem speciem qualitatis; ergo, quando aqua ut instrumentum Dei producit gratiam, non potest dici producere illam per naturalem potentiam quam habet ad producendam frigiditatem, eo quod gratia et frigiditas convenientiam quamdam in communi ratione qualitatis habere videantur; cum illa communis ratio qualitatis non attingatur a tali virtute naturali, neque ut adæquata ratio quam per se primo in effectu respiciat, neque ut ratio sub qua attingit suum naturalem effectum. Et hoc argumentum maxime urget in actione transubstantiandi, quæ attingit substantiam ipsam secundum se, seu quatenus esse potest terminus conversionis alterius substantiæ in ipsam, qui terminus nullam habet realem convenientiam cum alio termino naturaliter producibili, præter communem convenientiam substantiæ aut entis, quam nulla naturalis virtus creata potest per se primo, vel tanquam rationem formalem, sub qua attingit suum effectum, respicere.

81. Tertio, quia alias omnis potentia activa naturalis alicujus effectus esset aliquo modo potentia activa naturalis omnium effectuum habentium aliquam convenientiam genericam cum altero effectu naturali, quod sine dubio est valde absurdum in philosophia, ut facta inductione facile ostendi potest. Et ratione, quia naturalis potentia non est commensurata illi effectui, nisi secundum propriam et specificam rationem ejus; et ita non attingit ex natura sua rationes communes, nisi prout in illo contractas. Maxime quia hæc rationes communes physice et in re non distinguuntur a particularibus, et ab entitatibus physicis in quibus reperiuntur; hæc autem commensuratio inter virtutem activam et effectum physica est, et physice est consideranda inter res, prout a parte rei sunt, et non secundum rationes communes abstrahibiles a nostro intellectu.

82. Atque hæc rationes eodem fere modo procedunt in potentiis animæ, quatenus ad supernaturales actus eliciendos elevari possunt, in quibus ille modus loquendi videri posset habere majorem probabilitatis speciem propter vitalem et liberum modum operandi harum potentiarum; nihilominus tamen, etiam in illis potentiis, ego nulla ratione concederem, influere in hos actus virtute naturali, ut naturalis est, quia non censeo has potentias esse naturaliter commensuratas, aut essentialiter ordinatas, aut institutas ex vi

suæ specificationis ad hos actus supernaturales eliciendos, etiam partialiter; neque ad attingenda illorum objecta sub ea speciali ratione, qua ab eis attingi possunt; alioquin non video quomodo in his potentiis non sit etiam naturalis capacitas passiva ad hujusmodi actus, cum hæc et proxime sequatur ex illa naturali commensuratione talium potentiarum, et respondeat activitati naturali, quæ negari non potest in his potentiis, saltem partialis, si tales potentiæ habent essentialem habitudinem ad hujusmodi actus, seu ad totam latitudinem talium actuum, prout tam supernaturales quam naturales complectitur; quia hæc potentiæ essentialiter sunt activæ; unde, quantum habent essentialis habitudinis ad hos actus, tantum habent activitatis; nullo enim modo in re distinguitur activitas naturalis ab essentia earum; solum ergo esse potest differentia inter actus naturales et supernaturales, quod ad illos erit major virtus activa quam ad hos, vel quod ad illos est completa in genere potentiæ proximæ, ad hos vero est incompleta, etiam in illo genere. Quod sane non satis est ut hi actus dicantur simpliciter supernaturales respectu harum potentiarum; quia, ut supra argumentabar, etiamsi virtus sit instrumentalis tantum, vel partialis, si ex natura sua est illo modo instituta ad talem effectum, eique commensurata, effectus est illi simpliciter connaturalis, et, juxta debitum naturæ ordinem, tali virtuti, ut passiva est, debetur talis actus et perfectio; ut autem activa est, debetur illi activitatis complementum, vel intrinsecum, vel per subordinationem et concursum superioris causæ. Hac enim ratione, et Angelis species intelligibiles, et homini generanti debetur concursus etiam creativus animæ. Ac denique vix potest intelligi quod potentia mere naturalis habeat specificationem suam et essentiam ex habitudine ad supernaturales actus, neque adæquate, neque partialiter, multoque minus intelligi potest quod aliqua sit essentialiter potentia activa, et naturaliter activa aliquorum actuum, et quod id non habeat ex sua specifica et essentiali ratione.

83. Tertio igitur (ut huic secundo argumento tandem satisfaciam) concludo, hanc vim activam instrumentorum Dei secundum rem quidem talem esse, qualis est entitas, cui convenire dicitur; unde, si illa entitas est naturalis ordinis, etiam illa potentia secundum totam suam entitatem est naturalis; si autem entitas seu forma, in qua consideratur talis

activitas, sit ordinis supernaturalis, etiam illa potentia erit entitative supernaturalis, non propter habitudinem ad illum effectum, sed propter speciem et essentiam talis entitatis. Potest enim hæc potentia obedientialis etiam in supernaturalibus qualitatibus considerari; nam character, verbi gratia, vel charitas aut gratia elevari possunt ad efficiendos effectus quos naturaliter efficere non possunt, sive quia superioris, sive quia inferioris sunt ordinis, ut si eleventur ad efficiendam transsubstantiationem, vel ad efficiendum calorem, vel quid simile. At vero quoad usum (ut sic dicam), seu quoad munus potentiae, vel quoad modum agendi, non potest hæc potentia proprie dici naturalis, propter ea quæ diximus, quia non agit juxta commensurationem, vel propriam institutionem seu specificationem suæ entitatis, neque cum concursu seu auxilio sibi debito, nec denique ad effectum, vel actionem suæ naturæ proportionatam. Neque etiam dicitur supernaturalis, quia non est naturæ superaddita aut infusa. Sed specialiter vocatur potentia obedientialis, quia non operatur nisi ex imperio creatoris, et cum extraordinario, et non debito concursu. Et eodem proportionali modo loquendum est de potentia receptiva actuum, vel formarum supernaturalium, sicut ex communi doctrina D. Thomæ et aliorum, superius dictum est.

*Solvitur argumentum tertium, et declaratur per quod instrumenta divina in actu primo constituuntur.*

84. Ex his, quæ in solutione hujus argumenti latissime dicta sunt, plura, ex aliis quæ in principio fuerunt proposita, expedita fere relinquuntur; et quidem tertium eandem difficultatem attingit quam secundum, eodemque fere nos usi sumus contra oppositam sententiam. Ex tribus enim membris ibi propositis, scilicet, an auxilium speciale Dei (quo, secundum omnes, indigent ejus instrumenta, ut supernaturaliter agere possint) sit tota virtus seu ratio agendi, vel supponat in instrumento totam virtutem proximam, vel saltem supponat inchoatam, eamque compleat, et elevet ad agendum; ex his (inquam) tribus membris omnes convenimus, non posse secundum affirmari, propter rationes in argumento factas, et quia jam talia agentia non essent instrumenta, sed principalia agentia. Rursus, manifeste (ut existimo) probavi, primum membrum nullo modo affirmari posse,

quia, si auxilium divinum esset tota virtus agendi, hæc instrumenta, præsertim inanimata, nihil omnino agerent, quia hoc auxilium non est in ipsis rebus quæ dicuntur instrumenta; unde nec constituere illa potest in actu primo ad agendum, nec ratione illius tantum possunt denominari agentia, nec materialiter aut suppositaliter (ut sic dicam), quia non sustentant virtutem agendi, nec per sese seu formaliter, quia per suas entitates non influunt in effectum. Unde sumi potest nova ratio, quia hoc auxilium, si sumatur in actu secundo, non est virtus agendi proprie et in rigore, sed est actualis concursus ad agendum, qui etiam auxilium nominatur, et non est in instrumento cui conferri dicitur, sed in effectu seu subjecto circa quod versatur actio instrumenti; nihil enim est aliud quam ipsamet actio, ut specialiter ac principaliter a Deo fluens; non potest ergo hoc auxilium sic declaratum esse virtus agendi, quia virtus significat actum primum, non actionem ipsam; unde, sicut actus secundus supponit primum, et concursus cum alio supponit illud cum quo est concurrentum, ita hoc auxilium supponit virtutem agendi. Si autem sit sermo de hoc auxilio in actu primo, quod aliqui vocant auxilium internum, sic respectu horum instrumentorum non est aliquid creatum inhærens ipsis, sed est ipsamet omnipotentia increata Dei, per voluntatem ejus specialiter applicata ad concurrentum cum creatura ad talem actionem, in qua nihil prævium aut creatum ponit, ut supponimus; ipsa autem Dei omnipotentia non potest esse tota virtus agendi in his actionibus; alioquin ipsa sola agit, et ab ipsa sola pendet effectus; nullo ergo modo poterit tribui creaturæ, cum nullo vero ac reali modo habeat vel sustentet omnipotentiam Dei. Et hic quidem discursus, suppositis principiis supra tractatis, evidenter (ut existimo) concludit, in his instrumentis, quæ agunt actione transeunte, sine ulla supernaturali ac physica mutatione positiva prævia quæ in ipsis fiat, tertium membrum esse eligendum, scilicet, supponi in his rebus inchoatam et quasi fundamentalem vim, quæ per auxilium elevatur ad agendum, et illam vim potentiam obedientialem activam appellamus; si autem quis sermonem misceat de potentiis animæ, quatenus ad actus supernaturales eliciendos elevantur, in quibus præcedere solet auxilium distinctum ab actuali concursu gratiæ, quod auxilium vocari solet præveniens seu excitans, et censetur esse virtus ad efficiendos

tales actus supernaturales, dicendum est breviter (quoniam hæc materia de auxiliis gratiæ amplissima est, et ab hoc loco aliena) esse quidem de fide certum, ad proprios actus supernaturales, præsertim humanos, id est, consentiente et cooperante libero arbitrio factos, necessarium esse non solum supernaturalem concursum gratiæ (quem ego inter gratias adjuvantes merito numerandum censeo), sed etiam auxilium excitans seu præveniens, juxta Conciliorum definitionem. Non est autem certum quid universaliter hoc auxilium præveniens sit. Itaque, si censeatur esse aliqua qualitas per modum actus primi non elicitæ a potentia vitali, sed receptæ tantum ad eliciendum actum alium secundum, in hoc sensu certum mihi est, non sufficere hoc genus gratiæ excitantis, sed ultra hoc ponendum esse aliud per modum actus secundi, ut plane Concilia docent, dum hanc excitantem gratiam vocant, *Spiritus Sancti inspirationem, vocationem et motionem*. Et e converso non est mihi certum illud genus gratiæ per modum actus primi inhærentis potentiae esse simpliciter necessarium ad prædictos actus supernaturales eliciendos; nam, licet sit certum dari habitus infusos, non tamen est certum illos concurrere ad omnes actus, sed probabilius est non concurrere ad eos actus, qui sunt dispositiones ad infusionem ipsorum habituum, sed solum ad illos qui eliciuntur post obtentos ipsos habitus, qui fructus justitiæ appellari solent. Est item certius, ad ipsosmet actus, qui sunt gratiæ excitantes, non concurrere prædictos habitus; fingere autem alias qualitates priores habitibus et actibus, quæ per modum actus primi transeuntis (ut aiunt) infundantur ad illos actus eliciendos, neque in Conciliis aut in Patribus fundamentum habet, neque ulla satis verisimili ratione suaderi aut defendi potest. Rursus, quamvis actus gratiæ excitantis detur propter alium actum supernaturalem libere eliciendum, non est tamen certum, hujusmodi gratiam excitantem physice et per propriam efficientiam influere in alium actum, sed solum moraliter excitare ac elevare potentiam, atque ita etiam in his actibus supernaturalibus non est in universum verum, vel saltem non est certum, ad illos eliciendos dari virtutem inhærentem, et superadditam potentiis, quæ sit actus primus, seu per modum actus primi ad physice efficiendos tales actus; nam hoc deficit tum in actibus excitantis gratiæ (si tamen illi supernaturales quoad substantiam sunt), tum in

actibus supernaturalibus, qui sunt dispositiones ad primam gratiam.

85. Addo denique, etiam in his actibus supernaturalibus, ad quos eliciendos datur auxilium prævium, seu gratia inhærens per modum virtutis activæ, non esse solum tale auxilium totam virtutem ad agendum, seu totum actum primum; quia, cum actus, qui eliciuntur per hanc virtutem, sint vitales et liberi, necesse est ut non solum a virtute extrinsecus data, sed etiam ab intrinseca, vitali ac libera efficiantur; atque ita etiam fit, primum membrum partitionis propositæ in prædictis actibus locum non habere. Relinquitur ergo ut respectu etiam talium actuum, tertium membrum verum sit, scilicet, in his instrumentis vel potentiis supponi aliquam virtutem, incompletam quidem et de se improporcionatam, et indigentem divina ac supernaturali elevatione; et ideo instrumentariam tantum esse, et non principalem. Quæ doctrina tantum abest, ut inclinet in errorem Pelagii, ut potius necessaria sit ad fundandam totam doctrinam de gratia, quam fides docet contra Pelagium. Quia sine hac vi fundamentali non posset natura nostra excitari, neque adjuvari ad opera gratiæ faciendæ; unde etiam necessaria est ad vitandum errorem Lutheri, asserentis potentias nostras solum recipere, non autem efficere hos actus divinæ gratiæ. An vero hæc virtus a nobis explicata, naturalis vel supernaturalis dicenda sit, jam est sufficienter tractatum. Nec vero hæc doctrina (quod in eodem argumento tangitur) quicquam favet opinioni Cajetani circa visionem beatam, quod, scilicet, cum æquali lumine perfectior fiat a perfectiori intellectu; non enim id sequitur ex nostra sententia, nam cum hæc virtus obedientialis, quam ponimus, sit incompleta, et de se improporcionata, non potest agere nisi juxta mensuram supernaturalis virtutis, seu auxilii quo elevatur. Et hoc sensu sano modo intelligendum est, si apud auctorem aliquem gravem legatur, in his actibus supernaturalibus, totam virtutem agendi esse auxilium, seu habitum infusum, quod, scilicet, intelligatur de virtute principali, seu de virtute complente, seu quasi ultimate constituyente ac mesurante virtutem agendi.

*Solvitur quartum argumentum, et declaratur an et quomodo hæc potentia obedientialis sit instrumentaria virtus.*

86. Quarti etiam argumenti solutio ex proxime dictis facilis est. Petitur enim in illo, an

creatura, ut agens per hanc potentiam obedientialem, dicenda sit agere ut instrumentum, an vero ut principalis causa; et, si est instrumentum, cujusnam sit instrumentum, et sub qua ratione. Et quidem, quod attinet ad actiones miraculosas et transeuntes, certum est creaturam non esse principalem causam earum, sed solum instrumentalem, ut a fortiori constat ex his quæ de Christi humanitate dicta sunt, sect. 4, et ex eo quod de baptismo docet Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 7, et quæ de aliis sacramentis, 3 tom. tractabimus. Ratio autem hujus veritatis sumenda est ex propria definitione seu ratione causæ instrumentalis; non enim per se spectat ad rationem instrumenti, ut a causa principali, quæ per illud operatur, quoad suum esse procedat. Quamvis enim hoc in multis reperitur, præsertim in instrumentis quæ vocantur separata, quia hæc veluti substituuntur ab agente principali, ut vices ejus suppleant in agendo, tamen in instrumentis conjunctis non est id per se necessarium, quia potest unum agens operari per instrumentum ab alio fabricatum, ut exemplis instrumentorum artis facile intelligi potest. Et ratio est, quia ad rationem causæ per se in unoquoque genere solum requiritur immediatus influxus inter ipsam et effectum; ordo vero illius effectus ad aliam remotiorem causam, a qua proxima causa processit, est per accidens, ut constat de habitudine inter avum et nepotem; sic ergo, ut duæ causæ conjungantur vel subordinentur in agendo, ut principalis et instrumentalis, per se solum requirunt debitum influxum in effectum; quod vero una ab altera procedat, nec per se ac formaliter necessarium est, neque etiam est conditio necessaria ad primum, quod per se requiritur; nulla est enim ratio qua hujusmodi necessitas ostendatur. Nam, cum esse sit prius, saltem natura, quam causare, possunt duæ causæ conjungi ad effectum causandum, si in eis supponatur esse accommodatum ad talem causandi modum, unde-  
cunque illud habeant.

87. Deinde non est per se necessarium ad rationem instrumenti, ut in se recipiat aliquem motum seu influxum principalis agentis distinctum a suo esse, et prævium ad actionem; ut per illum efficiat, vel applicetur ad agendum; quamvis enim hoc in instrumentis artis inveniatur, quia homo operans ut artifex nihil potest efficere, nisi per motum localem applicando activa passivis, vel unum corpus

in unum locum introducendo, et expellendo aliud, in instrumentis autem naturæ illud non est necessarium, quia agentia principalia non operantur illo modo, sed physice influendo in ipsum effectum, vel per solum instrumentum, si separatum sit, vel etiam per se ipsa, si instrumentum sit conjunctum. Priori enim modo operatur generans per semen ut per instrumentum, et projiciens movet per impetum; posteriori autem modo concurrat intellectus agens cum phantasmate, vel forma ignis cum calore, juxta probabiles opiniones; multo ergo minus in instrumentis gratiæ et omnipotentia divina est necessarius prior ille modus agendi, quia etiam Deus est principale operans per hæc instrumenta, et per se immediate influens in ipsum effectum, et potest elevare instrumentum, speciali modo cum illo concurrente, quamvis in illo nihil prævium efficiat, ut ex dictis sectione præcedente probatum est. Ratio ergo instrumenti proprii ac physici in hoc consistit, quod, licet vere efficiat, non tamen virtute principali, id est, ita proportionata, ut sit ejusdem vel eminentioris ordinis cum effectum in perfectione. Unde fit ut efficere non possit effectum, nisi ut subest superiori concursui principalis agentis, vel alterius superioris qui defectum ejus suppleat, ut latius in metaphysicis disputationibus tractamus. In præsentem vero ratio divini et miraculosi instrumenti ultra hoc habet, quod non ex naturali proportionem, sed ex obedientiali, seu non repugnante operatur, ac deinde hinc habet ut efficiat per concursum nullo modo suæ naturæ debitum, sed per concursum superioris ordinis. Ex quo ulterius fit, ut actio non sit mensuranda ex naturali perfectione instrumenti, sed ex virtute seu influxu principalis agentis.

88. Ad argumentum ergo in forma negatur sequela, scilicet, creaturam operantem per potentiam obedientialem operari ut principale agens; jam enim satis declaratum est, quomodo ratio instrumenti ei conveniat. Ad probationem autem sequelæ respondetur, creaturam tunc agere ut instrumentum Dei, auctoris gratiæ et supernaturalium effectuum. Neque ratio, quæ contra hoc fit, est ullius momenti; nam, licet creatura cum omnipotentia obedientiali, quæ in ipsa est, tam activa quam passiva, procedat a Deo ut auctore naturæ, nihilominus usus ejus, vel in recipiendo, vel in agendo in ratione instrumenti, est respectu Dei ut auctoris supernaturalis; quia necesse non est ut idem efficiat instru-

mentum, qui illo utitur, ut diximus; ergo multo minus necessarium erit ut idem secundum eandem rationem efficiat instrumentum, et utatur illo; sicut ergo in artificialibus inferior artifex præparat interdum instrumenta, et superior illis utitur, ita hic dicere possumus, Deum, ut auctorem naturæ, præparare seu creare res aptas ut sint instrumenta; Deum vero, ut auctorem supernaturalem, illis uti. Maxime quia idem omnino est Deus auctor naturæ et gratiæ, solumque per habitudinem ad diversos effectus illas denominationes a nobis recipit, quæ ita sunt subordinatæ, ut una alteram per se supponat; ideo enim Deus potest præter vel supra naturam immutare creaturas, quia est auctor et supremus illarum dominus per infinitam potentiam qua illas creat, et eodem titulo eisdem potest uti ut instrumentis ad ea omnia quæ non repugnant; et ideo, quod potentia obedientialis comitetur creaturam, ut ab auctore naturæ procedit, nihil obstat, imo valde consentaneum et consequens est, ut idem auctor ejus ea uti possit, ut instrumento, supra naturam ejus, tanquam supremus illius dominus.

89. *An potentia animæ efficiant supernaturales actus ut instrumenta.* — Prima opinio rejicitur. — Atque hæc quidem difficultatem non habent in actionibus supernaturalibus, seu miraculosis transeuntibus, seu non vitalibus; de actibus vero supernaturalibus immanentibus et vitalibus intellectus et voluntatis specialis difficultas est, an dicendæ sint potentia animæ influere in illos ut instrumenta divina gratiæ, an vero ut principia proxime principalia, saltem partialia; nam, juxta rationem instrumenti a nobis declaratam, videntur hæc potentia dicendæ instrumenta, non minus quam cætera divina instrumenta. Aliunde vero videtur repugnare, quod influxus sit vitalis et liber, et quod non sit ab operante ut ab agente principali et proximo. Propter quod aliqui negant, has potentias influere in hos actus ut instrumenta, sed ut principalia principia proxima et operantia non per potentiam obedientialem, sed per naturalem, quam habent ex natura sua commensuratam his actibus, quamvis non plenam. Sed hæc sententia, hoc modo explicata, a nobis rejecta est in solutione primi argumenti.

90. *Secunda opinio refutatur.* — Alii dicunt, has potentias influere prædicto modo in hos actus, ut sunt actus credendi, amandi, etc.; non vero ut sunt actus supernaturales. Sed hic etiam modus dicendi non probatur, nam

vel per illam reduplicationem indicatur ratio quæ in effectu fit, vel ratio sub qua fit. Primum dici non potest, quia cum in actu amoris supernaturalis, verbi gratia, in re non distinguantur ratio amoris, et talis amoris, non potest actio physica attingere unum quin attingat aliud, maxime cum ratio amoris, ut ibi contracta est, ad supernaturalem ordinem sit elevata; unde non potest aliqua potentia esse principium principale illius effectus secundum unam rationem, et instrumentale secundum aliam, quia et ratio generica elevata est ad supernaturalem ordinem per differentiam specificam, et e contrario actus etiam secundum differentiam specificam vitalis est et liber. Secundum autem, de ratione sub qua, non recte hic accommodatur, quia ratio aliqua communis inventa in effectibus non attribuitur ut adæquata ratio sub qua respectu potentia activæ, et ut illi commensurata, et naturaliter proportionata, nisi illa potentia habeat naturalem vim et proportionem cum omnibus inferioribus sub tali ratione contentis, quod in præsentem dici non potest, ut ex dictis patet. Assumptum ostendi potest primo inductione, tam in omnipotentia divina quam in omnibus inferioribus; deinde ratione, quia potentia activa ut sic non attingit rationes has communes, ut præcisas et abstractas, sicut attinguntur interdum objecta a potentiis cognoscentibus et amantibus ut sic, quia effectio semper versatur circa particularem actum, seu terminum productum; ergo ratio communis non potest assignari ut adæquata ratio sub qua potentia productivæ, nisi potentia se extendat ad omnia sub tali ratione contenta, alioquin excedit talis ratio ipsam potentiam. Sed in præsentem voluntas, vel intellectus, ut sunt naturales potentia, non se extendunt ad omnes actus cognitionis et amoris, ut dictum est; ergo non respiciunt illas rationes communes, ut adæquatas et proportionatas rationes sub quibus operantur.

91. Quod si quis contendat, rationem formalem sub qua, esse illam rationem communem, quæ sub se comprehendit omnes illas rationes particulares ad quas extendi potest actio potentia, vel naturaliter, vel ex elevatione, contra hoc est, quia sequitur imprimis eadem ratione idem esse dicendum de propriis et specificis rationibus, ad quas efficiendas potest elevari potentia. Sequitur deinde idem esse dicendum de quacunque alia virtute naturali, activa actione transeunte,